Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE IVRE OCCVPANDI BONA VACANTIA

QVAM

POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GEORGIO II.

M. BRIT. FRANC. ET HIBERN. REGE

DEFENSORE FIDEI

DVCE BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENSI

S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

IN

VNIVERSITATE

GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

GEORGIO HENRICO AYRERO D.

CONSILIARIO REGIO

IVR. P. P. O. ET FACVLTATIS IVRIDICAE ADSESSORE

PVBLICE VENTILANDAM

PROPONIT

OTTO MELCHIOR VON DER DECKEN,

EQVES BREMENSIS.

ANNO CIƆ IƆ CC XXXX. D. XIII. APRILIS.

GOTTINGAE

TYPIS IOH. CHRIST. LVD. SCHVLZII. ACAD. TYPOGR.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

GEORGIO II.

MAGNAE BRITANNIAE
FRANCIAE
ET
HIBERNIAE REGI
DEFENSORI FIDEI
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM
DVCI
S. R. I. ARCHITHESAVRARIO
ET
ELECTORI &c.&c.
REGI AC DOMINO SVO
INDVLGENTISSIMO

HANC QVALEMCVNQVE
EXERCITATIONEM ACA-
DEMICAM

INTER PIENTISSIMA VOTA

PRO

REGIS AVGVSTISSIMI
REGIAEQVE SOBOLIS

INCOLVMITATE ATQVE FELICITATE
PERPETVA

SVBMISSA MENTIS DEVOTIONE

D. D. D.

Humillimus

OTTO MELCHIOR VON DER DECKEN.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

re Rom. iura domestica.

§. XI. *Argumenta contraria remouentur.*

§. XII. *An Nobilibus mediatis competat ius occupandi bona vacantia, disquiritur.*

§. XIII. *Posse & ciuitates & Nobiles hoc ius acquirere, ostenditur.*

§. XIV. *Regula de bonis vacantibus Principis fisco adserendis in terris Brunsuico-Luneburg. obtinet.*

§. XV. *Sed eaedem quoque locum habent exceptiones.*

§. XVI. *Quid obtineat in Ducatu Lauenburgico?*

§. XVII. *Quid in Ducatu Bremensi & Principatu Verdensi?*

§ XVIII. *De iure Albinagii.*

Plau-

Plausus votiui ad Generosiss. Dn. Respond.

ADscende felix, quod reserat Tibi
Virtus theatrum! Te manet omnium
Plausus; subi sic auspicato,
Quo vocat haec eadem, palaestram.
Non indecoro puluere sordidus
Linques arenam, iam Tua, discimus
Doctrina quid possit? triumphos
Fers meritos, sine clade victor.
Hunc gratulatur iam merito sibi
Augusta ciuem, patria suscipit
Hunc laeta natum, sentit in quo
Tanta sibi bona vindicari.
I, perge felix! namque Tibi viam
Quot vota sternunt! iam cape praemia
Quae digna Te expectant. Quid addit
Musa? mihi faueas, precatur

Abr. Gottl. Wincklerus,
Iur. Stud.

Spernit humum virtus, grassatur ad ardua, linquit
Ignauum vulgus, nil nisi celsa petit.
Tu, Generose, fidem facis his; qui vera negabit?
En, Tibi quae virtus praemia quanta paret!
Non Tibi nobilitas posita est in origine sola,
Nobilitat virtus, nomen ad astra vehit.
Nam bona dum adscribis de iure vacantia fisco,
Laudes ecce Tuas pulpita docta sonant.
Hinc mea gratantum se miscet Musa cateruae,
Atque Tuum votis concomitatur iter.
Applaudunt Musae, signisque sonantibus aiunt:
O patriae felix spesque decusque vale!

Generosissimo Domino von der Decken, Fautori suo eximie colendo, de praeclaro specimine pariter ac vita academica summo cum applausu iam transacta deuoto animo bene precatur

Iohann Daniel Schubert.

Disser-

DISSERTATIO
DE IVRE OCCVPANDI BONA VACANTIA.

§. I.

Bona vacantia quaenam dicantur?

Accidit interdum, licet rarius, vt, qui inteſtati moriuntur, ſiue omnino teſtamentum non fecerint, ſiue non iure fecerint, aut id, quod fecerunt, quocunque modo corruerit (*a*), neminem relinquant propinquorum adeoque ſine herede decedant. Hoc vbi contingit, bona illorum vacare dicuntur. Vnde frequens in legibus Romanis bonorum vacantium nomen occurrit (*b*), quo diſerte Imperatores HONORIVS & THEODOSIVS Facultates ſine teſtamento mortuorum denotant (*c*), *ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea, vel iuris titulo, legitimum reliquerunt heredem.* Quae verba quam late pateant, non ſolum commentatores, PEREZIVS, BRVNNEMANNVS aliique, ſed etiam reliqui ſcriptores iam ſollicite examinarunt, quicunque vel de bonis vacantibus generatim egerunt (*d*), vel iura fiſci ex inſtituto tradiderunt

runt (*e*), vel ſucceſſionem eius explicarunt (*f*), vel in enumerandis Regalibus iuribus, quae vocantur, hoc argumentum attigerunt (*g*). Quare non minus actum ageremus, ſi explicationi legis adductae caſibusque, qui in illa latent, ſpeciatim recenſendis vellemus immorari, ac ſi reliqua hic repetere in mentem veniret, quae ad hoc, vt bona pro vacantibus haberi poſſint, requiruntur. Audiunt alias haec bona etiam cadentia ſ. caduca (*h*), latiorique ſignificatu complectuntur omnia, quae in fiſcum cadunt, vel ipſi quacunque ex cauſa ſunt obnoxia (*i*), adeoque etiam indignis ablata, peculiari nomine ereptitia (*k*) dicta, itemque proſcriptorum ac damnatorum bona confiſcata. Apud Gallos notum eſt ius, *Le Droit de Desherence*, quo nihil aliud, quam ius bona, herede deſtituta, occupandi intelligunt (*l*). In vernacula noſtra rectius exprimuntur per *Erbloſe* (*m*) & *Heimgefallene*, quam per *Herrenloſe Güter* (*n*), quandoquidem haec vltima adpellatio aeque, ac Latina & Graeca caducorum & adeſpotorum, longe plura, ſcilicet loca deſerta & inculta (*o*), agros, ex hoſtibus captos (*p*), theſauros (*q*), bona naufragorum (*r*), & ſi quae ſunt alia huius generis, (*s*) comprehendit. Quae ſingula ampliorem tractationem exigunt, quam noſtri fert ratio inſtituti.

(*a*) Vid. pr. I. *de heredit. quae ab inteſt. defer.* & l. 181. *ff. de Reg. iur.*

(*b*) Vid. l. 96. §. 1. ff. de Leg. I. l. 6. §. 3. ff. *ad SCt. Trebell.* & tot. Tit. C. *de bon. vacant.*

(*c*) In l. 4. C. *de bon. vac.*

(*d*) Vid. SIMON in Diſſ. *de bonis vacantibus*, vulgo *Herrnloſen Gütern* Cap. III. HENR. COCCEIVS diſſ. *de bonis vacant.* vulgo

vulgo *Erblosen Gütern*, thes. 6. sq. & 23. IOH. ANDR. HEROLD *de bonis vacant.* thes. 8. sqq.

(*e*) Vid. PEREGRINVS *de iure & priu. Fisci* L. IV. Tit. 3.

(*f*) Vid. STRYCK. diss. de *successione fisci* Cap. I. §. 24. sqq. IOH. ERNEST. SPIELMANN. diss. *de Successione fisci, von Erblosen Gütern* §. 20. sqq.

(*g*) Conf. SIXTINVS *de Regalibus* L. II. cap. 9. n. 2. sqq. CONR. AB EINSIEDEL in Tr. *de Regal.* c. III. n. 133. add. TEXTOR *Iur. publ. Caes.* Tit. X. n. 27. sqq.

(*h*) Conf. l. f. C. *Theodos.* & l. vlt. C. *Iustin. de bon. vacant.*

(*i*) Vid. DE EINSIEDEL l. c. n. 133. & VLR. MARBACHII diss. de *Iure caducario*, Argentorati 1677 COLER Dec. 190. PFEFFINGER *in Vitr. ill.* T. III. p. 1514. not. d.

(*k*) De quibus extat Dissertatio LYNCKERI Ienae 1694. edita.

(*l*) Vid. PETR. GREGOR. THOLOS. *de Rep.* L. IX. c. 1. DOMAT, *Les Loix ciuiles dans leur ordre naturel* Tom. II. L. I. Tit. VI. Sect. 3. & RICHELET *dans le dictionnaire* voc. *Desherence.*

(*m*) Ita vertunt COCCEIVS in rubr. diss. cit. & CHRISTOPH. GEORG. IARGOW *in der Einleitung zu der Lehre von* Regalien L. II. c. 6.

(*n*) Vti reddit SIMON in tit. diss. cit.

(*o*) Huc pertinet tot. tit. C. *de omni agro deserto.*

(*p*) Vid. l. 20. §. 1. ff. *de capt. & postl. reuers.*

(*q*) In explicando iure circa acquisitionem thesauri multorum occupata fuit industria, conf. IAC. AVG. FRANCKENSTEIN in diss. de eo, *quod iustum est circa thesauros*, & IAC. LEMBKE *de iure circa thes. acquir.*

(*r*) De quibus scripsit IOH. STEIN, Regiom. 1689. add. IAC. GOTHOFREDVS *de imperio maris & iure naufragii colligendi*, Geneu. 1654 & THOMASIVS in diss. *de iure consuetudinis & obseruantiae* §. 113. vbi de consuetudine, secundum quam bona naufragorum domino littoris cedunt, differit,

 carpit.

carpitque miniſtros eccleſiae, publice precantes, *daſs GOtt das Strand-Recht ſegnen wolle*, quibus tamen ipſis precibus deinde, mutata animi ſententia, ſaniorem ſenſum tribuit in diſſ. *de poteſtate principum legislat. contra ius comm.* §. 41.

(*s*) Quae recenſet SIMON diſſ. cit. cap. IV. ſq.

§. II.

Ad quem pertineant?

Nobis hic potiſſimum disquirere animus eſt, ad quem pertineant bona vacantia ſine herede mortuorum? Qua in quaeſtione decidenda probe diſcernendus eſt ſtatus naturalis a ciuili, in quo viuere coeperunt mortales, poſteaquam in ſocietates ciuiles coaluerunt. Si enim ex illo rem aeſtimes, haud dubie bona talia inter res nullius numeranda ſunt, quae cedunt occupanti. Sin vero ad hunc reſpicias, plane aliter erit dicendum. Scilicet in ciuitate res, quae domino priuato carent, atque hinc extra eam nullius eſſe cenſentur, in dominio reip. ſunt, quod eminens vocare ſolent iuris naturalis Doctores. Hinc ſine dubio etiam ius occupandi bona vacantia non ad quemuis hominem priuatum, ſed ad ipſam rempubl. ſ. ſummam in illa poteſtatem ſpectat (*a*). Nihil quoque eſt aequius, quam vt illi cedant eiusmodi bona, qui ad ſuſtinenda onera imperii ferendosque ſumtus neceſſitatum publicarum variis ſubſidiis opus habet (*b*). Ita iam olim philoſophatos eſſe Romanos, ſatis aperte oſtendit *Lex Iul. Papia Poppaea*, qua bona caduca vel vacantia populo, *velut omnium parenti*, delata eſſe, legimus (*c*), vnde ipſum quoque *legis caducariae* nomen ei haeſit (*d*), quam non minus augendo aerario, quam incitandis coelibum poenis, ſanxiſſe Auguſtum, locupletiſſimus teſtis eſt CORNEL.

TACI-

TACITVS (*e*). Poſtea vero ſumma rerum poteſtate ad Imperatores translata, hos fiſco ſuo bona vacantia vindicaſſe, quae olim populi aerario debebantur, auctor eſt VLPIANVS, ad conſtitutionem Antonini Baſſiani Caracallae prouocans (*f*). Eodem vero iure etiam ſequentes Imperatores vſos eſſe, ex infra dicendis adparebit.

(*a*) Conf. GRIBNERI *principia iurispr. nat.* L. II. cap. IV. §. 1. n. 6.

(*b*) Conf. VITVS LVD. A SECKENDORFF *Im Teutſchen Fürſten - Staat* P. III. c. I. §. 1. vbi rem ex ipſa S. S. illuſtrat. add. TEXTOR *de Succeſſ. ab inteſt.* n. 121.

(*c*) Conf. VLPIANVS in *Fragm.* Tit. 28. §. 7.

(*d*) Conf. PEREZ in *Comment.* ad Tit. C. *de cad. toll.* & FRANCISCI BALDVINI *Commentar. ad L. Iul. Pap. Popp.* quem cum aliis huiusmodi Commentariis Halae 1730. recudi curauit Vir, poſt fata quoque celebratiſſimus, NICOL. HIER. GVNDLINGIVS, pag. 101. ſqq. add. Ill. HEINECCII Comment. ad eandem legem. L. III. c. 1.

(*e*) *Annal.* L. III. c. 25. & 28.

(*f*) *Fragm.* Tit. XVII. §. 2. vbi conferri merentur ea, quae ANT. SCHVLTINGIVS adnotauit in *Iurisprudentia Antiiuſtin.*

§. III.

Fiſcus & ius fiſci quid ſignificet?

Non attinet recenſere omnes alluſiones, quibus fiſci & nomen & omen implicarunt aucupes ſyllabarum & verborum. Fiſcum quaſi fixum, id eſt, firmum ſtabilemque dictum eſſe, qui putant, pro veritate accipiunt praeſumtionem illam ſaepe fallacem, fiſcum ſemper diuitem & ſoluendo eſſe (*a*). Accuratius feliciusque in ex-

plicanda huius vocabuli notatione procedunt, qui illud a proprio ſignificatu, quo vas, ex vimine, vel iunco confectum, denotat (*b*), ad improprium, quo ipſum patrimonium principis ſ. pecunia publica indicatur, translatum fuiſſe, obſeruant. Quum enim in huiuscemodi fiſcis ſ. fiſcellis pecunia olim publica conſeruari ſueuerit; facile ſucceſſu temporis fieri potuit, reque vera factum eſt, vt continens pro ipſo contento communi vſu loquendi adhiberetur. Egregie hanc denominationis rationem illuſtrant loca veterum complura, a Batauo doctiſſimo, DOMINICO ROOSMALE (*c*), ſtudioſe collecta, inter quae eminet adnotatio ASCONII PEDIANI (*d*), ad verba *Fiſcos complures. Sportae*, inquit, *ſportulae*, *ſportellae numum ſunt receptacula*, *& ſacci*, *ſacculi*, *ſacelli*, *crumenae ex vellere*, *& ſcorticae*, *& manticae & marſupia: ita fiſcus*, *fiſcinae*, *fiſcellae. ſpartea ſunt vtenſilia ad maioris ſummae pecunias capiendas. Vnde quia maior ſumma eſt publicae pecuniae*, *quam priuatae*, *factum eſt*, *vt fiſcus pro pecunia publica*, *& inde confiſcare dicatur.* Quo ſenſu etiam accipienda ſunt SVETONII (*e*) verba: *Poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis.* Neque aliter intelligendus eſt TACITVS (*f*), dum *fiſcos, de Imperatore raptos & inter ſigna interque aquilas vectos*, commemorat. Fiſcum ab aerario diſtinctum olim fuiſſe, claris indicat verbis PLINIVS *in Panegyrico Traiani* (*g*). *At fortaſſe*, inquit, *non eadem ſeueritate fiſcum, quam aerarium cohibes*; *immo tanto maiore, quanto, tibi plus licere de tuo, quam de publico, credis.* Hiſce congruunt, quae AELIVS SPARTIANVS ſcribit in *vita Hadriani* (*h*): *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit*; *omni ſumma in aerari-*

um

um publicum recepta. Ex quibus aliisque locis (*i*) dilucide adparet, ſub primis Imperatoribus populo, vt in reliquis rebus nonnullis, ita etiam hac in parte vmbram aliquam priſtinae libertatis poteſtatisque relictam fuiſſe, quae tandem euanuit penitus, ex quo principum auctoritas magis magisque fuit confirmata atque ſtabilita. Vnde etiam fisci & aerarii nomina confuſa, & promiſcue tum a veteribus ICtis, tum ab Imperatoribus vſurpata paſſim leguntur (*k*). Per fiscum igitur hic nihil aliud intelligimus, quam patrimonium ſupremae in rep. poteſtatis, complectens, quidquid ad pecuniarium eius commodum ſpectat, publicisque vtilitatibus ac neceſſitatibus inſervit (*l*). Ius fisci autem in facultate conſiſtere, eidem circa reditus publicos ad tuendam dignitatem ac potentiam competente, tralatitium eſt.

(*a*) Vid. l. 2. in f. ff. *de fundo dot.* & PEREGRINVS *de Iure fiſci* L. I. Tit. I. n. 34. & 37.

(*b*) Pertinet huc illud VIRGILII *Eclog.* 10. v. 71.

- - - *Gracili fiscellam texit hibisco,*

& quod canit TIBVLLVS L. II. Eleg. 3. v. 15.

Tunc fiscella leui detexta eſt vimine iunci.

(*c*) In diſſ. inaug. *de Succeſſione fisci in bona vacantia & caducis ſublatis,* Traiecti ad Rhenum 1710. habita, theſ. 1.

(*d*) In *Verrin.* prooem.

(*e*) In *Claudio* c. 18.

(*f*) *Annal.* L. I. c. 37.

(*g*) Cap. XXXVI.

(*h*) Cap. VII.

(*i*) Conf.

(*i*) Conf. TACIT. *Annal.* L. VI. c. 2.

(*k*) Conf. l. 1. §. 9. ad *L. Corn. de falsis* l. 13. pr. ff. *de Iure fisci* l. f. C. *de bon vacant.*

(*l*) Vid. PEREGRIN. loc. cit. L. I. Tit. I. n. 2. LAVTERBACH. *in Colleg. Theoret. pract. Tit. de Iure fisci* § IV.

§. IV.

Ius fisci cuinam competat?

Ex dictis facile patet, nemini ius fisci proprie tribuendum esse, nisi qui clauum reip. tenet, & recte proinde fiscalia iura, quale est ius bona vacantia occupandi, ad Regalia s. Maiestatis iura pertinere, licet locum tantum inter ea occupent, (*a*) quae minora vocari solent. Hinc in imperio Rom. Germanico Imperatorem ius fisci habere, omni caret dubio; & Principes imperii, ciuitatesque imperiales illo aeque, ac aliis Regalibus iuribus, vi Superioritatis territorialis, quam Maiestati Imperatoris aemulam esse constat, gaudere, apud omnes est in confesso (*b*). Neque Nobilibus immediatis imperii illud esse denegandum, STRYCKIVS (*c*), ex rationibus haud contemnendis, aduersus dissentientes contendit. An autem de ciuitatibus municipalibus & nobilitate mediata idem dicendum sit, magis vexata est quaestio, quam paulo curatius expendemus.

(*a*) Vid. 2. *Feudor.* 56. & conf. SIXTIN. *de Regal.* l. c. n. 31. BOCER. *de Regal.* c. III. n. 26. & SCHILT. Ex. ad ff. L. §. 5.

(*b*) Vid. *Instrum. Pac. Osnabr.* Art. VIII. §. 1. & 4. *Capit. Leopold.* art. 27. *Ioseph.* art. 26. Caroli VI. art. 21. & conf. MYLERVS AB EHRENBACH *de stat. imp.* P. II. c. 68 § 1.

STRVV.

STRUVV. *Syntagm. iur. civ.* Exerc. 56. th. 33. STRYK. *Vs. mod.* Tit. de *Iure Fisci* §. 2. 3. LAVTERBACH. l. d. §. V. add. REINKING *de Reg. sec. & eccles.* L. I. Class. V. c. 1. KNICHEN de *Iure territ.* c. 1. BRVNING, ICtus Bremensis, diss. de *variis vniuersit. Spec.* Thes. 14. & 25. GAIL. L. II. obs. 130. in fine. SCHWEDER *Introd. in jus publ. Part.* Spec. Sect. 2. c. 15. §. 11. PFEFFINGER. in *Vitriar. Illustr.* T. III. p. 1513. not. c. vbi magna Scriptorum huc pertinentium cohors obversatur.

(c) Diss. cit. §. 14. sq vbi prouocat ad *I. P. Osnabr.* Art. V. §. 28. conf. LAVTERBACH. in Diss. de *Iure fisci* c. 2. §. 2. sqq. KNIPSCHILD de *Iure & priuileg. nobil.* L. III. c. 4. §. 269. OLDENBVRG. ad I. P. P. I. diss. 22. §. 5. aliique a STRYKIO laudati; add. HENNIGES *Medit.* ad *Cap. Ioseph.* Art. XXVI. n. k.

§. V.

Si regula, communi Doctorum consensu tradita, firmo staret talo, qua docent, omnes, qui mero imperio s. iurisdictione superiore gaudent, habere etiam ius fisci, res statim esset confecta. Et sicuti ius occupandi bona vacantia inter praecipua iura fiscalia numeratur; ita haud dubie etiam hoc ciuitatibus & nobilibus, facultate animaduertendi in facinorosos instructis, tribuendum foret. Saltem ICti Saxonici id vno adfirmant ore, quanquam non omnes omnia fisci commoda sine discrimine mero imperio adscribant, vindicationem bonorum vacantium solum ei vindicasse contenti. (*a*) Sed & extra Saxoniam peruagata est haec opinio communibusque suffragiis adprobata. (*b*)

Opinio communis de adhaerente iurisdictioni crim. s. mero imperio iure fisci eiq. annexo iure occupandi bona vacantia.

(a) Conf. DAV. MOLLER P. III. c. 38 n. 9. IOH. SCHNEIDEW. ad Tit. Inst. de *hered. quae ab intest.* WESENB. P. IV. Consl. 181. n. 67. CARPZOV. P. II. C. 14. d. 61. RICHTER in

Tract. de Successione ab intest. Sect. V. n. 3. COLER P. 1. Dec. 72. n. 3. STRVV. in *Iurispr. Rom. Germ. forens.* L. II. Tit. 30. §. vlt. BERGER in *Oecon. iur.* L. I. Tit. 2. §. 16. n. IV.

(*b*) Vid. KLOCK. de *aerario* L. II. c. 136. n. 18. sqq. WEHNER obs. *Pract. Voc. Konigs Leüte.* RICCIVS *vom Landsässigen Adel in Teutschl.* P. II. c. 19. §. 49. BESOLD. *Thes. Pract.* voc. *Erblosse Güther, in fine.* SIMON Diss. de *bonis vac.* c. 2. ZAHN *Ichnograph. municipal.* c. 54. n. 4. & alii sexcenti.

§. VI.

Cuius rationes examinantur, ex iure Sax. desumtae.

Quod si vero causas rationesque huius sententiae cum viro Ill. GODOFR. LVD. MENCKENIO, qui non minus eleganter, ac solide, in hoc argumento versatus est, (*a*) sub accuratioris examinis reuoces incudem, facile deprehendes, non adeo firmo illam niti fundamento. Prouocant quidem vulgo eiusdem patroni ad iura Germaniae, Speculum in primis Sax. (*b*) & Weichbildum Magdeburgicum (*c*), in quorum illo bona vacantia ad iudicem, in hoc ad eos, qui regiam exercent potestatem, pertinere dicuntur. Sed praeterquam quod Speculator Saxo hic de solis loquatur rebus mobilibus, vti vltima articuli verba clare demonstrant, de immobilibus contra plane alia proferat; (*d*) per iudicem, cuius ibi fit mentio, non qui patrimonialem iurisdictionem habet, sed iudex supremus intelligendus est, vti probe monet Glossa, quam, vtut alias fallacem, hic non fallere, alia Speculi loca ostendunt, quibus iudicis adpellatio latissime patet, ipsumque Regem (*e*), vel Principem (*f*) denotat. Verba autem iuris Magdeburgici, siue ad fiscum Regis, vti quidem in Speculo Saxonico illa explicantur, (*g*) siue ad dominos territo-

ritoriales, qui Regalia exercent, referre velis, ad patrimonialem ſ. hereditariam iurisdictionem non quadrant. Immo iuxta ſignificatum, quo poteſtatis Regiae vocabulum tam in aliis Speculi locis, (*h*) quam a ſcriptoribus medii aeui adhibetur, omnia Maieſtatis iura cum nullo Magiſtratu communia, niſi ſpeciatim conceſſa, comprehendit. Et ſi recte calculum ſubducas, leges iſtae ciuitatibus municipalibus ideo quoque prodeſſe nequeunt, quia illis temporibus pleraeque iurisdictione, quam vocant, alta fuerunt deſtitutae, & neq. illis neq. nobilibus cognitio in cauſis crim. competiit, vt ex WECKII *Chronico Dresdenſi* (*i*) obſeruat vir, iuris Sax. peritia, dum viueret, celebratiſſimus, IO. MICHAEL GRIBNERVS, (*k*) Perilluſtri Domino ab OPPEL (*l*) hac in parte adſtipulatus, origines iurisdictionis patrimonialis, in quas etiam inquiſiuit Ill. HEINECCIVS (*m*), ex inſtitutis Germanor. egregie illuſtranti. Poſtea vero quam Principes primo eam locarunt nonnullis, deinde hereditario iure permiſerunt, quamuis tabulae conceſſionum ius fiſci expreſſe haud continerent, neque adeo illud conceſſum eſſe videretur; facile tamen, vt digniſſimus GRIBNERI in officio ſucceſſor, Praeſes Illuſtris Facultatis iuridicae Lipſienſis ſpectatiſſimus, CAROL. OTTO RECHENBERGIVS, (*n*) coniicit, ſub textuum, ex iure Sax. allatorum, praetextu fieri potuit, vt tacito vſu ſimul cum mero imperio, in compenſationem quaſi onerum, ei adhaerentium, Magiſtratibus incrementa redituum ex bonis vacantibus permitterentur. Quod deinde legislator Saxo, Diuus Auguſtus, expreſſe adprobauit, dum, ordinibus prouinciarum ſuarum proſpecturus, Magiſtratui loci, vbi bona vacantia ſita ſunt, illa ſatis aperte reliquit. (*o*)

 (*a*) In

(a) In Diss. quae *Ius fisci mero adhaerens imperio* exquirit, Viteb. edita 1733. Idem quoque argumentum perfunctorie tractauit Consult. CAR. ERDM. KIRITZ, in diss. *qua ius fisci mero imperio haud cohaerere, euincere* suscepit Ienae 1722.

(b) L. R. L. I. Art. 28. *Was solches Dinges Erblosz stirbt, alsz heergewett, Erb oder gerad, das soll man antworten dem Richter, oder Fronboten, ob er es heischet nach dem dreyszigsten; Das soll dann der Richter behalten Iahr und Tag unverthan, und warten, ob sich jemands darzuziehen solt, mit Recht, kumpt da niemands, so kere es der Richter darnach zu seinem Nutz &c. disz ist aber geredt von fahrender Haab.*

(c) Art. 49. *Ob einer Erblosz stirbt, da sich niemand zuzeühet binnen Iahr und Tag, das fälls an die Künigl. Gewalt.* Quod auctor Glossarii, Speculo Sax. adiecti, ita explicat: *Königl. Gewalt heiszt eines jeden Richters Gewalt, der Gericht hat über Halsz und Hand, dem auch alle verledigte Güter heimfallen, wie dem König selbst an die Obrigkeit.*

(d) L. R. L. III. Art. 80. *Erstirbet ein eigen von einem Bauergülden erblosz bey drey Hufen, oder darunter, es gehöret in das Schultheiszthum, von wem es erstirbet; von dreyszig Hufen aber oder darunter, das gehöret in die Graffschafft. Ist es dann mehr denn dreyszig Hufen, so ist es dem König alles ledig worden.* Quae vltima verba Latine ita efferuntur: Si vero hunc numerum transcendat, *ad Regalem pertinebit Maiestatem.*

(e) L. III. Art. 26. *Der König ist ein gemeiner Richter überall,* & Art. 52. eod. *den Konig wehlet man zum Richter über eigen und über Lehen, und über eines jeglichen Mannes Leib.*

(f) L. II. Art. 26. *Niemand mag neue Märckte oder Müntz anlegen, ohne des Richters, das ist, des Fürsten Willen, in des Gericht es leit.*

(g) L. R. L. I. Art. 38.

(h) Conf. L. III. Art. 52. L. I. Art. 35. & L. III. Art. 80. quem exhibet nota praeced. d.

(i) P. IV. Tit. 6. p. 438. vbi, post mortem Electoris Friderici I. anno 1428. filios eius Fridericum II. atque Sigismundum suo fratrumque minorum, Wilhelmi & Henrici, nomine regimine suscepto ad comitia prouincialia Lipsiam conuocasse scribit, Status tam ecclesi-

ecclesiasticos, quam seculares, hosque tum inter alia potissimum conquestos esse, *dasz die Voigte und Amtleute sie in ihren Gerichtsbarkeiten* turbirten, *und die Unterthanen in allen geringen Dingen für die Fürstl. Gerichte und Bannstühle forderten*, quo facto hoc illos Responsum tulisse, subiungit; *daß nur über der Stände Unterthanen in Aemtern in diesen Fällen solte gerüget werden: Da es Zettergeschrey beträffe, alß wenns käme: Ob einer einen wolte morden, ein Weib oder Magd nothzüchtigen; ingleichen Wunden, die einer dem andern geschlagen hätte, Schwerdtzüge, da einer darmit wundete, Lembden, Todtschläge und Deüben, die bey 3. Schillingen wären.* Ex quibus non male concludit WECKIVS, *daß damals noch keinem Land-Stande die Ober-Gerichte müßen zugehörig gewesen seyn.*

(k) *Select. opusc. iur. publ.* Tom. I. Sect. IV. *de Iuribus Principum Regalibus, quae vulgo, sed perperam ad Iurisdictionem referuntur*, §. 19.

(l) In Diss. de *Iurisdict. patrimon.* Viteb. 1711. habita §. 7. sqq.

(m) In Diss. inaug. de *origine atque indole iurisdict. patrimon.* Halae Magdeb. 1716.

(n) In Diss. de *Compendiis Principis ex iure Rom. ad habitum territor. Germ. relatis* §. 42. extremo.

(o) P. III. C. 38. in fine.

§. VII.

Qui extra Saxoniam hanc opinionem tuiti sunt, Doctores plerique praxin fori Saxonici ante oculos habuerunt; quanquam & Speculum Sueuicum (*a*) aliaque iura Germaniae statutaria (*b*) in partes suas vocant, atque hinc, in detrimentum iuris patrii neque ex Iure Rom. in quaestionibus iuris publici, potissimum quoad Regalia, ineptum decisionis fontem aperiente, (*c*) neque ex iure feudali Longobardico, non tam species Regalium in Germania, quam in Italia receptas, recensente, (*d*) atque adeo ad statum Reip. Germanicae minus apto, argumentum

Argumenta, ex Speculo Sueuico iuribusque Germaniae statutariis petita, expenduntur.

 duci

duci posse, vrgent. Sed quantumuis liberaliter haec omnia concedamus, vtpote cum iis facientes omnino, qui in decidendis praecipue controuersiis illustribus iuris Germ. potius, quam Romani, rationem habendam esse, contendunt, (*e*) eamque ob causam coniunctum vtriusque studium sanioris Iurisprudentiae alumnis commendant; (*f*) non plus tamen praesidii ex adductis iuris Germanici textibus, quam ex Speculo Saxonico, pro iure occupandi bona vacantia Magistratibus, mero imperio gaudentibus, asserendo quaeri potest. Quilibet facile hoc intelliget, qui, verba paulo curatius examinando, quales iudices hic proprie denotentur, secundum ea, quae iam supra diximus, perpenderit, atque hoc in primis cogitauerit, quod probe monet supra laudatus MENCKENIVS, (*g*) scilicet, si vel maxime inferioribus iudicibus cura & custodia bonorum, quorum nullus adest heres, demandata fuerit, id factum esse ideo solum, quod per tempus, lege definitum, expectandum esset, donec fiscus illa pleno iure sibi acquirere posset, interea autem indagandum a Magistratu cuiusuis loci, annon quisquam esset, qui hereditatem iure sibi vindicare posset, vel ex iusta causa absentem heredem contra fiscum defenderet. Cuius instituti rationem euidentissime docet diploma Friderici Imperatoris, (*h*) quo Lubecensium priuilegia ao. 1188. quidem confirmauit, sed fisco suo regio intestatorum hereditates hisce reseruauit verbis: *Et si quisquam mortuus ibi fuerit, & forte heredem non habuerit, omnem hereditatem & supellectilem ipsius annum & diem integraliter in domo, in qua moritur, reservandam censuimus, nisi forte aliquis ei proximus intra tempus denunciatum adueniat,*

qui

qui haec iure ciuitatis obtineat. Si vero intra tempus illud nemo proximorum ſuorum venerit, quaecunque hereditauit. regiae poteſtati ſoluantur. Hoc poteſtatis vocabulum etſi in aliis quoque diplomatibus medii aeui occurrat, eoque, ſicut in iure Rom. (*i*), merum imperium ſignificari ſoleat; tantum tamen abeſt, vt exinde pro ſtabilienda aduerſa ſententia elici aliquid poſſit, vt neque iure Rom. neque Germanico ciuitatibus, ſed vtroque iure, vt recte obſervat Ill. LEYSERVS (*k*), ſoli Principi iura fiſci olim competiiſſe, tam certum ſit, quam quod certiſſimum, adeoque hactenus haec iura, quantumuis alias diuerſa, non inter ſe pugnent, ſed potius amiciſſime conſpirent. Hanc conuenientiam paulo dilucidius oſtendere e re erit noſtra.

(*a*) Art. 258. f. in al. edit 268. f. 270 apud GOLDASTVM T. I. *Der Reichs-Satzungen Pag. 87.* verbis: *Wo ein Menſch ſtirbt, es ſey Weib, oder Mann, die an Erben ſterbent, was ſie guts hinter ihn laßent, es ſey liegendes oder fahrendes Gut, haben ſy ein Herrn, des eygen ſy ſeynd, dem ſoll man es antworten, ob er es vordert, oder iſt er eines Gotzhauß, ſo iſt daßelb Recht. Vnd vordert es nieman, und iſt es uff dem Land, ſo ſoll ſich der Land-Richter ſein unterwinden. Vnd iſt es in einer Statt, ſo unterwindet es ſich der Statt-Herr oder ſein Richter. Er ſol es Iahr und Tag in ſeiner Gewalt behalten. Ob iemand darnach komme, der Recht da-zu hab und es beholen wolle innerhalb Iahr und Tag, dem ſol man es on Schaden wiederfahren laßen.*

(*b*) In primis ius Lubec. ex legibus antiquis Suſatenſibus ortum, vid. MEV ad illud P. II. Tit. 2. Art. 14 n. 64 Leges item Goslarienſes L. I §. 55 apud LEIBNIT. *Scriptor. rer. Brunſuic.* T. III p. 487 vbi ita diſpoſitum legimus: *Wat ervelos irſterfft, des unterwind ſik de Voghet in ſine Nutte;* porro Leges Brunſuicenſes Part. I. §. 1. & §. 35. apud eundem l. d. p. 434. ſq. ibid. *So ſchal id de Voghet hebben,* & §. 52. *Dat Richte behold id alsomale*, & Leges Cellenſes §. 6. verb: *So is it des Richters* & §. 37. *Dat Richte behalt it alles.* ibid. pag. 483. ſq.

(*c*) Quod

(c) Quod ex instituuo praeter LAVTENSACKIVM in Diss. de *inepta ratione decidendi controversias iuris publici ex iure Iustin.* & THOMASIVM in Diss. de *Regalibus fisci* c. 1 §. 4. & 7. ostendit GRIBNERVS in Diss. de *praeiudicio Principum imperii ex abusu iuris Iustin.*

(d) Quod praeter HERTIVM in Diss. de *Superiorit. terris*. §. 9. in fine obseruauit, strenuus iuris Germanici defensor, Ill. SENCKENBERG in *Iur. feud. prim. lin.* §. 205.

(e) Conf. BRVNQVELLI *Prolusio Acad. qua in pugna iuris Germ. & Rom. illud huic in primis in causarum illustr. decisionibus praeferendum esse, nisi huius receptio probetur, ostenditur*, & Viri Excellentiss. FERD. AVG. HOMMELII Diss. de *proedria legum Iustin. prae iure patrio antiq. in foris Germ.*

(f) Conf. ENGELBRECHTI Progr. *de coniungendo iuris ciu. & Germ. Studio*, add. Viri humanissimi, IOH. GEORG. CRAMERI, Commentat. *Acad. de coniungendo iuris & antiquitatum Germ. Studio huiusque subsidiis & adiumentis*, & Perill. ERNEST. IOACH. WESTPHALII *Meditatio de iuris Rom. & Germ. distinctae tractationis origine ratione & fructu in theoria & praxi.*

(g) Diss. cit §. XV. pag. 38. sq.

(h) Apud. LVNIG. *Arch. Imp*, part. Sp. Cont. IV. P. I. p. 1331.

(i) Vid. l. 3. ff. de *iurisd.*

(k) In *Medit.* ad ff. Sp. DCXIII. med. 8. pag. 737. circa finem.

§. VIII.

Iure Rom. vrbes municipales bona vacantia sibi vindicare non possunt.

Si igitur iuris Romani dispositionem primo loco intuemur, nulli sane priuatorum vniuersitati s. ciuitati relictos fuisse reditus, s. ad fiscum s. ad aerarium spectantes, nisi forte vna alteraue ex singulari Principis concessione hoc beneficium impetrasset, vel Nicensium docet exemplum, quibus *intestatorum suorum concessam vindicationem bonorum a Diuo Augusto adfirmantibus*, non statim annuit

TRA-

TRAIANVS Imperator, sed PLINIO (*a*), vt praeuia cau sae cognitione, quod optimum videretur, statueret, rescripsit. Longius adhuc progressi sunt sequentes Imperatores & nulla priuilegii, vel concessionis, ratione habita, ciuitatibus municipalibus hoc ius plane denegarunt. Ita enim DIOCLETIANI & MAXIMIANI ad Eucharium habet Rescriptum: (*b*) *Scire debet grauitas tua, intestatorum res, qui sine legitimo herede decesserint, fisci nostri rationibus vindicandas: nec ciuitates audiendas, quae sibi earum vindicandarum ius, veluti ex permissu, vindicare nituntur: & deinceps, quaecunque intestatorum bona, ciuitatibus, obtentu priuilegiorum suorum, occupata esse, compereris, ad officium nostrum eadem reuocare non dubites.*

(*a*) Vid. Lib. X. Ep. 88.

(*b*) In l. 1. C. de *bon. vac.* ad quam conf. ea, quae PEREZ commentatur. add. SYMMACHVS L. X. ep. 55.

§. IX.

Quae iuris Rom. dispositio ad ciuitates municipales hodiernas adplicatur.

Huic iuris Rom. decisioni hodienum insistendum esse, recte censent STRVVIVS (*a*) STRYKIVS (*b*) aliique, cum parum distet conditio ciuitatum municipalium nostri temporis ab illis, quae Iustiniani Imperatoris aeuo municipia fuerunt adpellata, quod ipsum nomen receptos antea in ciuitatem Rom significans, post ad suae cuiusque ciuitatis ciues extensum fuisse, testis est VLPIANVS (*c*) Sicuti vero municipia quasi rempublicam particularem constituisse, Romanae tamen subiectam, ex variis legibus (*d*) colligit modo laudatus STRVVIVS, lati-

 usque

vsque oſtendit, Vir eximius, IOH. GOTTL. HEINECCIVS (*e*): ita ſano ſenſu idem de noſtris ciuitatibus, Superioritati territoriali ſubiacentibus, praedicari poteſt; neque adeo male decuriones, qui reip. municipali praeerant, (*f*) Magiſtratibus hodiernarum vrbium municipalium comparantur. (*g*) Quemadmodum autem porro ciuitates iure Rom. priuatorum loco habentur; (*h*) ita nec iurisdictionis territorialis, nec Regalium participes eſſe merito exiſtimantur, ſed Statibus imperii, a quibus etiam iure ciuitatis & immunitatibus impertiuntur, (*i*) prorſus ſunt ſubditae. (*k*) Quae cum ita ſint, non mirum eſt, legis, in §. praeced. adductae, ſuam quoque in foris Germanicis eſſe auctoritatem. Saltem de obſeruantia illius vnanimi fere conſenſu viri rerum vſu praeſtantiſſimi teſtantur. (*l*)

(*a*) *Syntagm. iur. ciu.* Ex. 50. th. 47.

(*b*) Diſſ. de *Succeſſ. fiſci* §. XI.

(*c*) In l. 1. §. ff. *ad Municipal.* conf. l. 228. de *V. S.*

(*d*) Vid. l. 29. §. 7. ad *L. Aquil.* l. 31. de *furt.*

(*e*) *Antiquit. Rom.* Append. ad Lib. I. §. 123.

(*f*) Per l. 33. de *Decur.*

(*g*) Conf. COLER. *Proc. Exec.* P. 1. c. 3. n. 9. WESENB. 1. Conſ. 40. n. 21. 52. CHRISTIN. v. *deciſ. Belg.* 24.

(*h*) Per l. 16. ff. de V. S. l. 15. ff. *ad Sct. Maced.* Conf. GAIL. L. I. obſ. 1. n. 18. STRYK. in *Vſ. mod. Tit. de Iure fiſci* §. 3.

(*i*) Conf. REINKING. de *Reg. Sec. & eccleſ.* L. I. Claſſ. IV. c. 20. n. 4. add. Claſſ. V. §. 2. n. 9. ſq.

(*k*) Conf. BALTH. CONR. ZAHNII *Ichnographia municipalis* ſ. Tr. de *Iurisd. & iure municipior.* c. 2. ſq.

(*l*) Conf. MEV. P. IV. d. 66. & P. V. d. 379. COCCEIVS diſſ. de *bon. vac.* §. 11. 12. GRASS. de *Neglectis fiſci commodis* c. 1. §. 5. & STRYK. *Vſ. mod.* l. c. Ill. BOEHMERVS Vol. II. Conſ. 114. n. 4.

§. X.

§. X.

Conſpirant cum iure Rom. iura domeſtica.

Sed nec priſcis maiorum noſtrorum inſtitutis iura Romana hac in parte aduerſari, nunc paucis adhuc dicendum eſt. Vetuſtiſſimis Germanis non adeo cognita fuisſe iura fiſci, recte quidem ſuſpicatur rerum Germanicarum peritiſſimus HEINECCIVS; (*a*) ſed ſtatim ex CORN. TACITO (*b*) locum addit, ex quo adparet, ne principi neruus rerum gerendarum deeſſet, *morem fuiſſe ciuitatibus vltro viritim conferre Principibus vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubueniebat.* Occupatis deinde Romanorum prouinciis & creſcentibus ſucceſſu temporis diuitiis, fiſco locupletando Teutones non minus fuerunt intenti, quam Romani, adeoque etiam vacantes hereditates ei vindicare haud dubitarunt. Clare hoc demonſtrat Decretum Theodorici, Oſtrogothorum Regis, apud CASSIODORVM, (*c*) Epiphavio, viro Dalmatiae conſulari, ſic reſcribentis: *Quia caduca bona fiſco noſtro competere, legum cauta decreuerunt, ideo te praeſentibus oraculis admonemus, vt huius rei veritate diſcuſſa, ſi reuera, vt ad nos perlatum eſt, nullus ei aut teſtamento heres extitit, aut proximitatis iure ſucceſſit, fiſci noſtri eam facias compendiis aggregari.* Idem continent leges Baiuariorum, (*d*) Ripuariorum (*e*), Francorum (*f*), Longobardorum (*g*), quibus congruere mores medii aevi, iam ſupra ex Speculo Saxonico & Sueuico fuit obſervatum. Conſtans quoque, inde a temporibus Ottonis M. vsque ad Friderici I. aetatem, ICtorum fuit ſententia, fiſci iura aeque, ac iurisdictionem ciuilem & criminalem, Regis eſſe, atque ad Maieſtatis iura, quae Regalium nomi-

ne veniunt, pertinere. Poſtquam vero Italiae ciuitates partim ex beneficio Ottonis I. eiusque ſucceſſorum acceperant, partim, ex turbis Germaniae, quae Imperatores a cura regni Italici auocabant, proficientes, propriis auſibus ſibi ſumſerant iurisdictionem omnimodam ſ. poteſtatem, quae recentioribus ſeculis Superioritas territorialis vocari ſolet; factum eſt, vt ICti Transalpini, quidquid iurium eminentiorum ab illis exerceri viderent, vno meri imperii vocabulo exprimerent, adeoque illo etiam fiſci iura complecterentur. Vnde communis illa regula de perpetuo meri imperii & iurium fiſci nexu inualuit, quam vero, propter diuerſiſſimi ſtatus rationem, neque ad ciuitates Germaniae immediatas, quales iis ſaltem temporibus fuerunt, quibus Praefecti imperiales tam obuentionum fiſcalium, quam meri imperii adminiſtrationem, Caeſarum nomine, in illis habuerunt (*b*), neque ad vrbes municipales, in quibus vtrumque ius domini territoriales, quos dudum ſibi bona vacantia adſeruiſſe HERTIVS docet (*i*), vel eorum auctoritate Aduocati ſ. Praefecti ipſorum exercuerunt, quadrare, ex monumentis fide dignis oſtendit, quem iam ſaepius laudauimus, Conſultiſſimus MENCKENIVS. (*k*) Sane conceſſionis tabulae, quibus Imperatores Principibus ciuitatibusque imperii ſucceſſu temporis iura fiſci interque ea ius occupandi bona vacantia permiſerunt, vel potius confirmarunt, illa ipſis ſolis olim competiiſſe, ſatis demonſtrant. Ex multis, quae apud PFEFFINGERVM, (*l*) COCCEIVM, (*m*) MENCKENIVM (*n*) & alibi paſſim occurrunt, vnum alterumue exemplum hic tantummodo commemoraſſe ſufficiet. Ita Maximilianus I. Imperator Sereniſſimis Comitibus Palatinis & Electoribus

ao. 1518. d. 3. Sept. inter alia priuilegia ius quoque bona vacantia occupandi hisce concessit verbis: *Ibi vti etiam aliarum personarum, si legitimum heredem non habent, aut relinquunt, hereditatem & bona immobilia, nomina, pignora, ceteraque vbicunque sita, sine vllius rei exceptione, quae alias secundum scripta iura* nostrae nostrorumque successorum in imperio Imperatorum aut Regum Camerae cessura fuissent &c. Cum his plane conueniunt verba vernacula, quibus idem Imperator ciuitati imperiali Vberlingensi idem ius tribuit. (*o*) Quae cum iam seculo decimo quarto, prout ex alia Wenceslai charta (*p*) patet, vltimi supplicii facinorosis inferendi habuerit potestatem, satis manifestum esse putamus, moribus Germanorum ius fisci cum mero imperio neutiquam fuisse coniunctum. Serius adhuc ciuitatem imperii Francofurtensem ad Moenum iura fiscalia cumque illis vindicationem bonorum vacantium obtinuisse, patet ex diplomate, quo Maximilianus II. Imperator ao. 1572. vtrumque ei permisit. (*q*)

(*a*) *Elem. Iur. Germ.* T. I. L. II. Tit. IX. §. 273.

(*b*) De *Mor. Germ.* c. 15.

(*c*) *Var.* L. V. ep. 24. add. L. VI. c. 8.

(*d*) Tit. XIV. c. 9. §. 4. conf. PETR. GREG. THOLOS. *Syntagm. iur. vniu.* L. 45. c. 16.

(*e*) Tit. 56 §. 4.

(*f*) Vid. *Lex. Sal.* Tit. 63. §. 3. & Capitul. Caroli M. ann. 813. §. 6. apud. STEPH. BALVZ. T. 1. p. 508.

(*g*) Vid. Sanctio Rotharis c. 7. 8. 16. Tit 14. L. II. *Leg. Longob.*

(*h*) Conf. DAN. HEIDERI *Gründlicher Historischer Bericht von den Reichs-Vogteyen.*

(*i*) In diss. de *Superiorit. territ.* §. 53.

(k) Diss. cit. §. X. sqq.

(l) In *Vitriar. illustr.* T. III. p. 1512.

(m) In diss. de *bon. vac.* thes. IX.

(n) l. c.

(o) Sic enim Diploma habet apud LVNIG. *im Reichs*-Archiu Part. Spec. Contin. IV. P. 2. p. 545. *Wann und so offt hinfuero in Ewigkeit Personen, die keinen Erben verlassen, oder die ausserhalb der heil. Ehe gebohren - - - ohne ehel. Leibes-Erben mit Tode abgehen* - - - Die sonst nach gemeinen geschriebenen Rechten in unser Nachkommen am Reich Kayserl. und Königl. Cammer verfallen wären, *demselben Burgemeister und Rath der Stadt Veberlingen und ihren Nachkommen daselbst zugehörig und bleiben sollen.*

(p) Apud. LVNIG. l. d. p. 541.

(q) Apud eundem l. d. P. I. p. 674. vbi verba diplomatis ita sunt comparata: *Ebenmäßiger Gestalt, da nun fürbaß in der Stadt Franckfurt jemands ohne rechtmäßige Erben oder* Successoren *abgehen, und der Ends liegend oder fahrend Guth hinterlaßen, oder jemand desjenigen, deßen er unwürdig ist, oder sich unwürdig und unfähig gemacht, mit Recht entsetzt wird, welche in Latein* bona vacantia, *und* indignis ablata *genannt vverden, vvollen, setzen und meinen vvir, daß ermeldte von Franckfurt solche* an unser Stadt *zu sich nehmen und ihrem* aerario *zu gemeiner Stadt Besten einheimischen, und darinnen, gleich unserm Kayserl.* Fisco *zu einigen* Inuentario *nicht verbunden seyn, sondern sich auch in deme, gleichvvie obstehet, aller und jeden* Beneficien, Priuilegien, Prærogatiuen *und Freyheiten, so die Rechte unserm Kayserl.* Fisco *zulaßen, durchaus gebrauchen, derselben sich freuen und genießen sollen, sonder alle Gefährde.*

§. XI.

Argumenta contraria remouentur.

In tanta igitur veritatis luce vix est, quod moremur tenebras, quas hic nonnulli offundunt. Quod enim a fructibus iurisdictionis in compensationem onerum ciuitatibus,

bus, quae mero imperio gaudent, necessario relinquendis desumunt, argumentum ideo non procedit, quia sub eiusmodi fructibus ipsi, qui sic argumentantur, nihil aliud, quam quod ex mulctis poenisque prouenit, intelligunt. Quum vero, qui sine herede decedit, nihil deliquerit, neque adeo puniri queat; nullo sane iure nulloque titulo is, qui merum habet imperium, eius bona occupabit. Nec magis stringit obiectio ex Reformatione politica de ao. 1577. iuxta quam monopolarum bona fisco Magistratus cedere debent, mero imperio instructi (*a*). Vt enim taceamus, non sine magna veritatis specie RHETIVM (*b*) hoc illis solum Magistratibus tribuere, quibus Regalia sunt concessa; nec casus hic singularis expressus ad casus non expressos extendendus, nec a poena delicti ad successionem fisci, recte ita iudicante STRYKIO, (*c*) inferendum est.

(*a*) Tit. 18. §. 2. verbis: *Der peinl. Strafe deren Endes hat.*

(*b*) *Inst. iur. publ.* L. II. Tit. 21. § 2.

(*c*) l. c. §. 12.

§. XII.

Qui ius occupandi bona vacantia Nobilibus imperii mediatis tribuunt, eorum potissimum sententia nituntur, qui, omne feudum nobile etiam Regale esse, sibi persuadent. Quem WESENBECII (*a*) errorem dudum refutauit LVDWELLVS, (*b*) a STRYKIO (*c*) hoc nomine laudatus. Quamuis enim cum feudis nobilibus dignitas aliqua sit coniuncta, qua discernuntur ab ignobilibus; non ideo tamen Regalia eis statim sunt annexa, quin potius

An Nobilibus mediatis competat ius occupandi bona vacantia, disquiritur.

us apud interpretes iuris feudalis receptiſſima eſt diuiſio, qua ipſa feuda nobilia in Regalia & non Regalia diuidi ſolent, adeo vt feudum nobile, ſpeciatim ſic dictum, & feudum non Regale coincidant. *(d)* Neque hinc poſſeſſor eiusmodi feudi ſibi ſuisque ſucceſſoribus plus iuris acquiſiuiſſe cenſendus eſt, quam illi per literas inueſtiturae fuit indultum. Hinc vere ANT. SOLA, quem laudat KLOCKIVS *(e)*, poſt RVINVM docuit, Nobiles, ſuperiorem recognoſcentes, licet mero & mixto imperio ſint inueſtiti, iura fiſcalia non habere.

(a) De *feud.* c. 2. n. 4.

(b) Tr. de *diuiſ. feud.* c. 2.

(c) Diſſ. de *Succeſſ. fiſci* §. 16.

(d) Conf. GOTHOFR. ANTON. *Diſp. feud.* 1. §. 6. GEORG. OBRECHT. Tract. *feudal.* opera IOH. THOMAE OBRECHTI, filii, Argentorati 1617. editus L. I. c. V. n. 31. IOH. HELV. SINOLDI dicti *von* SCHVTZ *Colleg. feud.* c. III. §. 5. STRVV. *Syntagm. iur. feud.* c. III. Aph. 6. HORN. *Iurispr feud.* c. III. §. 16.

(e) De *aerar.* L. II. c. 136. n. 10.

§. XIII.

Poſſunt tamen & ciuitates & Nobiles hoc ius acquirere

Ex dictis iam ſatis conſtabit, ius occupandi bona vacantia tam iuxta ius Rom. quam Germanorum inſtituta, regulariter nemini, niſi Principi, competere; adeoque nec ciuitates prouinciales, nec nobilitatem mediatam, illa ſibi vindicare poſſe. Non tamen ita comparata eſt haec regula, vt nullam plane exceptionem admittat; quandoquidem & vrbes municipales & Nobiles mediatos per mo-

modum priuilegii ex concessione speciali, s. titulo oneroso, siue lucratiuo, hoc ius, vti alia Regalia, acquirere posse, reque vera sic acquisiuisse, qualis etiam legitima acquisitio vetustatis auxilio ex tempore, cuius non amplius extat memoria', praesumitur, exploratissimum, (*a*) variisque exemplis comprobatum est. De Saxonia iam dictum est supra. Diploma, quo Albertus, Dux Megapolitanus, Rostochiensibus omnimodam iurisdictionem, acceptis bis mille thalerorum Rostochiensium marcis, concessit, exhibet supra laudatus MENCKENIVS, (*b*) simulque acute disquirit, quid sub nomine attinentiarum, emolumentorum obuentionumque, ibi intelligatur, & an ius fisci quoque illis venditum fuerit? Ciuitati Argentoratensi, cui per Capitulationem cum Rege Gall. ius fisci non fuit ademtum, potestatem vindicandi bona vacantia vindicat SPIELMANNVS. (*c*) In Frisia Orientali vrbem Embdam maiori hic iure gaudere, compertum habemus. quam ciuitates, Nordenam & Auricum, quae nequidem criminali iurisdictione instructae sunt, & quarum consules ac senatores, a principe constituti eam ipsius nomine administrant. Nobiles ibi, qui solum castra vel praedia sine omni iurisdictione possident, discernuntur ab iis, qui iurisdictione ciuili & criminali, immo etiam iure circa sacra gaudent, & nomine *derer Herrlichkeiten* (*d*) insigniuntur. Posteriores bona vacantia sibi adserere, vel exemplum hereditatis famosissimae virginis, *Antoniae Bourignon*, ostendit, cuius bona heredibus ipsius in Belgio tanquam indignis ablata, nobilem, sub cuius iurisdictione illa degerat, iure fisci occupasse, fides nobis facta est. Quod vtrum ex concessione Principis expressa, an praescriptionis titulo, possideant, nobis quidem non constat.

 (a) Conf.

(a) Conf. BRVNNEM ad Tit. C. de *bon. vac.* n. 3. OCKEL de praescript. *immem.* c. 11. §. 4 MEV. P. IV. §. 66. COTHMANN. Vol. 2. Conf. 55. n. 24. sqq. PEREGRINVS l. c. L. I. Tit. 2. n. 65. MYNSINGER Conf. 63. n. 3. LAVTERB. Diss. de *iure fisci* c. 11. §. 16. Ill. BOEHMER I. E. P. L. II. Tit. 26. §. 35 sqq. PERILL. de WERNHER P. IV. obs. 5. vbi contra BEIERVM & THOMASIVM, qui, praescriptionem Regalium ad iura subditorum non pertinere, docuerunt, solide, more suo, disserit. Add. Viri Ill. DAVID. GEORG. STRVBE, *Vindiciae iuris venandi* cap. 2. §. 5. ibiq. cit. Dn. ICKSTATT. De *possessione Regalium* §. 28. sqq.

(b) Diss. cit. §. XIII. & XVIII.

(c) In Diss. de *Success. fisci* §. 26.

(d) Ad cuius nominis illustrationem facit FERDINANDI CHRISTOPH. HARPRECHTI *Euolutio Clausulae mit denen Herrlichkeiten.*

§. XIV.

Regula de bonis vacantibus fisco principis adserendis in terris Brunsuico-Luneb. quoque obtinet.

Regulam, quam circa acquisitionem bonorum vacantium obtinere, adfirmauimus, si ad terras Brunsuico-Luneburgicas adplicamus, illam hic eo certiori niti fundamento, deprehendimus, quo maior in illis iuri communi auctoritas conciliata est, postquam, testantibus Constitutionibus Principum compluribus, quas CHRISTOPH. IOH. CONR. ENGELBRECHTVS (a) & ESAIAS PVFENDORFFIVS (b) commemorant, ius Saxonicum penitus ibi fuit abrogatum; cuius abrogationis caussas inuestigauit Vir Excell. CHRIST. LVD. SCHEIDIVS, (c) superiori anno ex Academia Georgia Augusta Hafniam, ad ornandam ibi Professoris Spartam, euocatus.

(a) In

(a) *In iuris Brunsuico-Luneburgici enucleati Spec. primo de genuinis decisionum iuris fontibus in terris Brunsuico-Luneburg.* Thes. 16. sqq.

(b) *Introduct. in Processf. ciu. Electoratus Brunsuico-Luneb.* P. III. c. 22. §. 18. sqq.

(c) In progr. inaug. *Quam ob causam in teris Brunsuico-Luneb. iura Saxon. abrogata fuerint?* exponente.

§. XV.

Sed eaedem quoque locum habent exceptiones.

Easdem tamen & hic limitationes locum inuenire, quibus regulam illam circumscripsimus, exempla vrbium nonnullarum ostendunt, quae iure occupandi bona vacantia sine omni dubio gaudent. Ita ciuitas Luneburgensis non tam praescriptionis titulo, vti quidem ex KLOCKIO (*a*), qui CRANZIVM & MYNSINGERVM sequitur, referunt plerique, quam ex speciali priuilegio hoc ius possidet, quod Dux Otto iam anno 1247. die Vitali ipsi concessit, & quod alias intuitu temporis, hisce in casibus definiti, iuribus Germaniae, supra adductis, apprime conuenit. Hisce enim constat verbis: *Quicunque etiam aduena in ciuitate moriens, nec habens aliquem, qui bona, quae reliquit, de iure tollere debeat, Ciuitas & Iudex de pari consilio tollent, & infra annum & diem reseruabunt, & si infra dictum tempus frater vel aliquis consanguineus suus bona illa requisierit, & per iustitiam poterit obtinere, illi debent praesentari, sin autem infra tempus praescriptum nullus ea requisierit, duas partes ad structuram ciuitas, & Iudex tertiam partem tollet.* Sicuti autem priuilegium istud Ottonianum non totam hereditatem vacuam, sed duas saltem partes, tribuit ciuitati, tertia Aduocato s. Praefecto reseruata; ita casibus existentibus ipso vsu quoque hanc partitionem obtinuisse, literae resignatio-

nis iudicialis ao. 1361. datae, ostendunt, quas publica fide hic subiunximus. (*b*) Similem casum etiam anno 1430. accidisse, nobis ex rationibus aedilitiis relatum est, in eo tamen a priori illo differentem, quod tota hereditas 17. tantummodo schillingis 8. denariis constaret. Postquam vero per Recessum ao. 1576. ius Aduocatiae, quod antea nomine Principis administrabatur, titulo oneroso & ea quidem lege acquisiuit ciuitas, vt quotannis adhuc mille thaleros fisco Regio soluere teneatur; tertia quoque pars, alias Aduocato competens, ipsi accreuit, adeoque nunc tota hereditas, si qua vacare contingat, Magistratui cedit. Vnde etiam in statutis vrbis, (*c*) ao. 1576. d. 3. Iun. publicatis, quae Principes successores indulgentissime confirmare solent, eiusmodi bona vacantia Magistratui oppidano plenissime adscribuntur. Eodem iure statutario gaudere ciuitatem Vlzensem, compertum est. (*d*)

(*a*) De *Aerario* L. II. c. 136. n. 35.

(*b*) Vid. Appendix ad calcem Dissertationis adiecta, N. I.

(*c*) Reform. Policey-*Ordnung* s. *Stadt Recht* P. IX. Tit. 20. *vom zehenden Pfenning, und von Herrenlosen, verbiesterten, verloffenen und loofsgestorbenen Güthern*, ibi:

Alle Kauffmanns-Gühter, die keinen Herren haben, sondern auff und um das Kauff-Hauß herliegend befunden werden, und davon man nicht weiß, wem sie zuständig, sollen durch unsere Cämmerer, nach Auffschreibung der Gemärcke und anderer Mahlzeichen, angetastet, auffs theureste verkauffet, zu Gelde gemachet, und Uns zur Rechenschafft gebracht werden; käme dann hernach gewisse Kundschafft, wem dieselben zugehöreten, so soll der Werth davon dem rechten Herren erstattet werden, sonsten aber bey dem Gemeine Guhte alhie bleiben.

Gleicherweise sollen auch Unsere Cämmerer derjenigen Güther zu sich nehmen, die alhier ohne Erben, und ohne beständig Testament

ſtament verſterben, und dieſelbe auffhalten Iahr und Tag. Kommt denn in ſolcher Zeit ein wahrhafter Erbe, und gewönne ſolche Güther mit Recht, ſo ſollen ihm dieſelben folgen, wo nicht, ſo bleiben ſie bey Vns, *dem Raht eigenthümlich.*

(*d*) Conf. PVFENDORFF l. c §. 19. & P. I. C. IV. §. 40.

§. XVI.

